

gregatis in Concilium Sacerdotibus denegare. Aut quomodo transmarinum iudicium ratum erit, ad quod testium necessaria persona vel propter sexum, vel propter senectutis infirmitatem, vel etiam multis aliis incurrentibus impedimentis, adduci non potuerunt? Nam ut aliqui, tanquam à tua Sanctitatis latere mittantur, nulla invenimus Patrum Synodo constitutum. Quia illud, quod pridem per eundem Episcopum nostrum Faustinum, tanquam ex parte Niceni Concili, exinde transmisisse, in Conciliis verioribus, quæ accipiuntur à sancto Cyrillo, Cœpiscopo nostro Alexandrina Ecclesia, & à venerabili Attico Constantinopolitano Antistite, ex Authentico missis, quæ etiam ante hoc per Innocentium Presbyterum, & Marcellum Subdiaconum, per quos ad nos ab eis directæ sunt, venerabilis memoria Bonifacio præcessori vestro, à nobis transmissa sunt, in quibus tale aliquid non potuimus reperire. Exequutores etiam vestros quibusque petentibus nolite mittere. Nolite concedere, ut FUMOSUM TYPHUM SE-
CULI in Ecclesiam Christi, quæ lucem simplicitatis, & humilitatis diem, Deum videre cupientibus præfert, videamur inducere, Hactenus Synodus.

Magnum scelus, idque non immeritò, existimatur esse crimen falsi, etiam cum à quovis tantum in profanis causis coram uno Iudice admittitur. Cogita igitur, pie Lector, quàm præclarum facinus fuerit, cum id Papa, scilicet (si Diis placet) per totum orbem terrarum, Vicarius CHRISTI triumphantis, in rebus Ecclesiasticis, idque coram tanta Synodo, patraverit. Atque ita unica suæ fraudis sagena tam multos Sacerdotes, Episcopos, totasque CHRISTI Ecclesias suæ tyrannidi subiicere voluerit. Cogita etiam, si jam ante mille centum & triginta annos tales ambitiosi, injusti, falsatores librorum & Synodorum Papæ fuerint, quantum nobis hactenus, crescente subinde eorum multiplici malitia & astutia, aliorumque Christianorum tum inscitia, tum & religionis negligentia, impietatis & injustitiæ per sua Decreta, & Decretales, & extra justitiam vagantes, nugas, Agendas, lugendas, tam varias Sanctiones & Bullas, & mille occultas practicas in Ecclesiam invehere potuerint. Ut admodum parvæ autoritatis esse piis debeant commentitia *Donatio Constantini*, & similia multa; quorum quædam (haud dubiè adulterina) etiam ex non malis authoribus, vel pro tyrannide, vel pro impietate Pontificia stabilienda nunc citantur. Talis est etiam illa proluxa *Epistola Clementis ad Jacobum Iustum*, fratrem Domini, Hierosolymorum Episcopum, de morte Petri, deque sui substitutione, multisque aliis parum sanis, & quædam aliæ. Constat enim ex Iosepho, Hieronymo, Ecclesiastica historia Platina, & aliis historicis, Iacobum Fratrem Domini, cognomento *Iustum*, anno septimo Neronis interfectum; septem scilicet aut amplius annis ante mortem Petri, qui decimoquarto Neronis occisus est. O Papistas mendaces, parum memores! Eiusdem farinae sunt & *Apost. Canones*, *Dionysii scripta*, quatenus illi primò tribuuntur, aliaque plurima religionis Antichristi columina, Atque omnium istorum, ut ea prædictum Concilium appellat, FUMORUM, quos
impia